

# **Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Sebastiani Castellionis Sacrorvm Dialogorum Libri  
Qvatvor, Qvos Postremo Ipse Recognovit: Argvmenta  
Singvlis Dialogis Praeposvit, Et Sententias Svbiecit ...**

**Châteillon, Sébastien**

**Francofurti, 1761**

**VD18 12886300**

Dialogorum Sacrorvm Liber III.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-18303**

DIALOGORVM  
SACRORVM  
LIBER III.

TOBIAS. Tobiaë 4.

ARGVMENTVM.

Tobæus Tobiam filium suum pietatem docet. Deinde jubet, ut ducem quærat ad petendam ex Media pecuniam, ibi a se depositam. Tobias Genium, qui se hominem simulabat, nactus, cum eo proficiscitur.

*Tobæus pater, Tobias filius, Raphael Genius, Anna Mater.*

Cum ex hac vita discessero, nate, sepelito me honorifice. Tum autem matrem tuam honorato: neve eam, donec vivet, deserito, neve ei parum inorigerando vitam reddas acerbam. Recordare fili, quot dolores perpessa sit propter te, cum esses in ejus utero. Cum igitur vitam finiverit, eam mecum honeste sepelito in eodem sepulchro. Ac per omnem vitam memento Creatoris tui, neve eum offende, ejusque præcepta omitte. Quantumcunque tibi Jova largitus erit, de eo ne parcito liberalitatem exercere. Ad homines inhumanos ne te aggregaveris: a respicien-

L

ciens

ciendis egentibus Israelitis ne abhorrueris, a) ne Jova vicissim tuis temporibus adversis a te respiciendo abhorreat. Quod si tuæ facultates non ferent, ut large id facias: at pro eo, quantum id erit, quod suppeditabit, ne parce in benignitatem conferre, b) ut divitias tibi, & argenti aurique thesauros in beneficentia repositos habeas. Nam thesauri nihil impios juvant, at hæc virtus a morte vindicat. Ac quisquis beneficentiam exercet, Deo conspectum videbit, quemadmodum habet scriptum illud: Ego per beneficentiam c) conspectum tuum video: quam qui exercent, cœlestes habendi sunt. Tu ergo Nate, corpus tuum ab omni libidinis obscenitate tuere, uxoremque de tua cognatione ducito, nequaquam alienigenam aut alius sanguinis, quam tuorum majorum. Nos enim Vatum progenies sumus. Memoria repetere Abrahamum, Isaacum, Jacobum, qui uxores de sua sibi gente asciverunt, extraneorum affinitate repudiata, eoque liberis fortunati fuerunt. Animum intende, fili, ad ea, quæ ages. Quod tibi nolis fieri, aliis ne facito. Operarii mercedem ne retineto noctem unam, post eum diem, in quem cum eo pactus eris; ut suo te præmio remuneretur Deus. Corpus tuum ab ebrietate abstineto. In nulla nequitia te oblectaveris. De tuo victu largire esurientibus. De tuo vestitu indue nudos.

Quod

- a) Immisericordibus immisericordem se præbet Deus.  
 b) Pro divitiis Dei favorem habeas, tua beneficentia conciliatum.  
 c) In justitia (Christi) Pl. XVII, 15.

Quod  
 confe  
 vino  
 attenc  
 lium  
 tuas r  
 mini  
 Deo c  
 alios c  
 & præ  
 ante  
 esto:  
 toto a  
 fili, il  
 apud  
 (ea e  
 Nam  
 fili, si  
 servat  
 Omn  
 velim  
 istam  
 ille n  
 signo  
 tur i  
 signu

d) C  
 e) Pi  
 gic  
 f) Vi  
 run

Quod tibi superat, id omne in beneficentiam confer: neque id gravate: hoc est vere pane & vino sepulchra justorum perfundere: Audi & attende quemlibet, qui modo verum tibi consilium det. Ab Jova omnibus temporibus pete, ut tuas rationes consiliaque dirigat: neque enim homini in manu positum est <sup>d)</sup> consilium: sed uni Deo optimo maximo, qui quicquid vult, efficit, alios deprimens, alios efferens. Hæc mea dicta & præcepta omnia conservato, & nunquam non ante oculos habeto, fortique & infracto animo esto: nam Jova tibi auxilio præsidioque erit, si eî toto animo, totoque pectore studueris. <sup>e)</sup> Nunc fili, illud tibi indicabo de pecunia, quam habeo apud Gabelem, mihi cognatione propinquum (ea est decem argenti talenta) Rage in Media. Nam incertum est, quando sim moriturus. Tu fili, si Jovam metues, teque ab omni scelere conservabis, magnas ab eo opes consequeris. *Tobias.* Omnia ut præcepisti mihi, pater, sic faciam. Sed velim mihi consilium des, qua ratione queam istam a Gabele pecuniam recuperare: nam neque ille me, neque illum ego agnoscam: neque quo signo repetam pecuniam scio, neque qua via eatur in Mediam teneo. *Tobæus.* <sup>f)</sup> Quod ad signum pertinet, hoc dices: me cum ille mihi

L 2

mar-

d) Consilii eventus:

e) Piis posterior est cura rei familiaris; quam religionis.

f) Videtur illo tempore non fuisse usus syngrapharum.

marsupium suum tradidisset, dixisse: Accipe  
 manu mea, atque ex quo ei argentum in manu  
 tradidi, annum hunc esse vigesimum. De  
 autem, quare tibi jam hominem aliquem fidelem  
 qui tecum vadat, cui primum dabimus. Pro  
 ciscere fili adhuc vivente me, & argentum pet  
 Jova te Deus Israelitarum in itinere conservet,  
 bique benivolentiam, studium, misericordiam,  
 illius & omnium qui te videbunt, conciliet: teque  
 nobis sospitem & incolumem & ducat & reducat  
 ante meum interitum. *Tobias.* Eo igitur ad con  
 quirendum ducem. Et fortasse praesto adest, qui  
 faciat. Nam video juvenem quendam in vi  
 stantem accinctum, & ad iter (ut videtur) para  
 tum. *Raphael.* Adolescens, cujas es? *Tob.* Do  
 mine possesne mecum in Mediam proficisci?  
*Raphael.* Equidem novi vias omnes, sinque ali  
 quando usus hospitio Gabelis gentilis nostri, agen  
 tis Rages, in finibus Mediae, quae Rages distat ab  
 Ecbatani itinere duorum dierum, estque montana,  
 Ecbatana autem in campestri loco posita sunt.  
*Tobias.* Praestolare paulisper, si placet, dum hanc  
 rem patri renunciatum eo. Nam magnopere  
 cupio te comitem habere, tibi dabo mercedem  
 pro itinere. *Raphael.* I. propere: Ego hic ma  
 nebo, donec redeas: noli diutius morari. *To  
 bias.* Nactus sum virum bonum, pater, nostri ge  
 neris, qui mecum proficiscatur. *Tobaeus.* Evoca  
 eum ad me, ut scisciter, unde terrarum sit, & an  
 satis fidus sit tibi futurus comes? *Tobias.* Fa  
 ciam. Heus accersere a patre meo. *Raphael.* Eo,  
 Salve,

Salve, vir divine! *Tobæus*. Si salveo, cur mihi hæc usu veniunt, ut oculis captus, in tenebris cæcus sedeam? *Raphael*. g) Qui tibi oculorum lucem cæcando ademit, idem te, quia vir bonus es, sanabit. *Tobæus*. Ita faxit Jova. Sed ad rem. Meus hic filius Tobias vult ire in Mediam, frater, poterisne ire cum eo? & ego tibi mercedem dabo. *Raphael*. Potero, quippe qui vias omnes noverim, omnemque illam regionem peragraverim, & montes teneam. *Tobæus*. Cujas es? cuius generis? & qua ex civitate? *Raphael*. Quid amplius quæris, cum mercenarium habeas, qui tuum filium comitetur ex tui animi sententia? *Tobæus*. Frater, nomen tuum scire velim, & cuius nationis sis. *Raphael*. Ego sum Azarias Hananeelis filius, de familia Solomiti majoris, tuus gentilis. *Tobæus*. Quod salutare faustumque sit. Sed noli ægre ferre, frater, quod voluerim tuæ familiæ genus cognoscere? meus gentilis es, egregia & nobili ortus familia. Nimirum nosse Hananeelem & Nathanem duos Solomiti filios, qui mecum itabant Hierosolymam, cum Israelitarum terram incoleremus, mecumque ibi adorabant: neque unquam ad deos peregrinos, qui in ea regione habebantur, desciverunt, quod cæteri gentiles nostri fecerunt. Quare vade, frater, feliciter cum filio meo, & redite feliciter, adjuvante Deo. Ego tibi in singulos dies drachmam solvam, & victum ut filio. Quod si vos Deus optimus maximus salvos reduxerit, istud ibi præmium

L 3

auge-

g) Deus quos vulneravit, eosdem sanat.

augebo. *Tobias.* Omitte timorem. Nam ego cum filio tuo, saluus cum salvo, & ibo & redibo. *Tobæus.* Compara tibi, Tobia fili, quæ ad profectorem sunt necessaria, & proficiscere cum isto fratre. Deus omnipotens vos incolumes ducat & reducat, & vobis hoc iter per desertum Genii sui prosperet. *Tobias.* Valet, meos parentes observandi. *Tobæus.* Vale, & ambula prospere. *An.* Ohohohoh! *Tobæus.* Quid fles? *An.* Rogas? Nihil ne vereris puerum abs te mittere, qui in oculis nostris obversando, nostram senectutem redderet leviolem? quasi vero non nos sine illo argento aliturus esset Deus noster? *Tobæus.* Ne time foror; nam & prospere ibit, & incolumem ad nos reversum tu ipsa tuis oculis aspicias. Deus ei noster Genium attribuet, qui ei iter bene fortunet, eumque saluum reducat. *An.* Eheu.

## SENTENTIA.

*Parentum est, filios docere pietatem. Piorum curam mandavit Deus genit suis.*

## ASMODÆVS Tob. 6. 7.

## ARGUMENTVM.

Raphael genius agit cum Tobia de duenda in matrimonium, Sara, Raguelis filia. Deinde ubi ad Raguelem pervenerunt, fit matrimonium.

*Raphael, Tobias, Raguel, Edna.*

**J**am tandem pervenimus Ecbatana, Tobia frater. Hæc nocte divertemur apud Raguelem.

Is senex quidam est, qui filiam habet unicam, forma præstantem, nomine Saram. Ego cum eo agam, ut eam tibi det in matrimonium. Est bona indole prædita, & patri dilectissima. Auctusculpta mihi, & de ea agito. Ubi Rago redierimus, celebrabimus nuptias. Non dubito, quin non sit ille tuis postulatis contradicturus, neque eam contra legem Mosis alienigenæ traditurus. Nos eam ad patrem tuum ducemus. *Tob.* Audio, frater, eam jam septem viris esse traditam, qui ante quam in ejus complexum venerint, mortui sint, ab Asmodæo (ut dicitur) dæmonum Rege necati. Quapropter ne me ille interficiat, non mediocriter pertimesco. <sup>a)</sup> Quod si fieret, parentibus tristissimi causam exitus præberem, qui alium nullum neque filium, neque filiam habent, a quo eis vita defunctis parentetur. *Raph.* Verere modo Jovam ejusque memor esto: tum etiam patris tui præceptum recordare, a quo iustus es uxorem ejusdem tecum familiæ ducere: tum me autore nihil dæmonem timueris. Satis exploratum habeo, te eam in hanc noctem in matrimonio esse habiturum. Igitur ubi in cubiculum cum ea introiveris, sumito cor piscis, quem in Tigri flumine dilacerasti, & ex eo sub ejus pallam suffitum facito. Eo nidore olfacto dæmon puellam fugiet, nunquam eam repetiturus postea. Cum autem tibi cum ea congregi libebit, fargitote de lecto geniali, Jovamque oratote,

L 4

&amp;

a) Singularis filii pietas, qui non tam mortem suam, quam dolorem parentum reformidat.

& obsecratote, ut vobis pro sua clementia opem ferre, puellæque mederi velit. Tum demum cum ea rem habebis, ex qua liberos mares procreabis. Sed omnem timorem abjice; nam ea tibi destinata est ante orbem conditum, per teque eam Jova a dæmone vindicaturus est. *Tob.* Quid futurum sit, viderit Deus, sed certe facit tua oratio, ut a conjugio non abhorream. *Raph.* Jam appropinquamus domo Raguclis: & ecce eum ante suas ædes. *Salve.* *Rag.* Salvete & vos. Aspice huc, *Edna*, quam hic adolescens forma referat *Tobæum* fratrem meum? *Ed.* Unde estis fratres? *Raph.* Ex captivis, qui sunt *Ninivæ*, ex *Nephthalina* tribu. *Ed.* Nostisne *Tobæum* fratrem nostrum? *Raph.* Novimus. *Ed.* Valetne? *Raph.* Valet. *Tob.* Iste *Tobæus*, frater (ut dicitur) vester, Pater meus est. *Rag.* O faustum diem! Libet te complecti, b) *Jovam* tibi propitium precor, fili: nam ex viro optimo & probatissimo natus es. Age uxor, si quid est lautius, apparetur cœna! placet arietem mactari. Volo ego hos hospites accipi liberaliter. Succedite nostro tecto; præstemus nos hilares. *Tob.* Jam tempus admone, *Azaria*, ut de matrimonio mentionem injicias. *Raph.* Memini. Quoniam filiam habes jam nubilem, *Ragucl* & hic est adolescens, & æqualis ille, & tribulis petebat, ut eam sibi nuptum locares. *Rag.* Non me præteris, satius esse, eam tibi, quam alteri tradidi. Sed verum tibi dicam: eam jam septem viris loca-

b) Piorum natis fausta optare solemus.

locavi, (ut tu scias) qui omnes ante ejus congressum mortui sunt. Verum ede & bibe, & istam rem omitte. *Tob.* Nihil agis: neque cibum ego, neque potionem capiam, quin tu eam mihi in matrimonium concesseris. *Rag.* Postquam ita infixum in animo habes, obtineto sane. Et quia consanguinei estis, ego jam nunc eam tibi in matrimonium trado, ex instituto Mosaico & Israelitico. Huc ades Sara, accipe hanc Tobias. Jova Deus cœlestis vos hac nocte custodiat incolumes, suaque in vos clementia utatur.

## SENTENTIA.

*Piorum opera sunt autore & duce Deo, Pii voluptatibus etiam licitis imperant, non serviunt. Pii fugant dæmonia. In pios potestatem non habet dæmon.*

## RAGVEL. Tob. 10.

## ARGUMENTVM.

Tobias Ragueli socero suo valedicit, secum abducens illius filiam Saram, uxorem suam.

*Tobias, Raguel.*

**M**i socer, Raguel, tu a me postulasti, ut manerem apud te dies quatuordecim, & cum filia tua uxore mea Sara suaviter viverem: id quod tibi concessi. Nunc finita est dies: itaque peto abs te, ut me dimittas. <sup>a)</sup> Mei enim pa-

L 5

rentes

<sup>a)</sup> Pii nati de parentibus solliciti sunt.

rentes ambo dies numerant, neque putant hoc loco rem esse. *Rag.* Dolco, me tam parvum spatium a te petiisse. Sed nihil obstat, quo minus id fiat longius. Mane apud me diutius: ego mittam ad tuum patrem nuncium, qui ei totum negotium renunciat, ne sit de te sollicitus. *Tob.* Quæso te, noli me remorari: cupio omnino ad parentes reverti. *Rag.* <sup>b)</sup> Quando urges, non remorabor invitum. En trado tibi meam filiam Saram, nec non dimidium facultatum mearum. Ite feliciter. Deus Jova, Deus majorum nostrorum vos fecundet, mihi que ex vobis liberos <sup>c)</sup> mares ostendat, qui Jovæ legi dent operam. Agite, deosculari vos volo. Vide mea filia, ut tuum focerum, & focrum (qui nunc tui parentes sunt) habeas in magno honore: maritum diligas: familiam regas, domum gubernes: & te ipsam præstes inculpatam: & cum bona pace profecta efficias, ut bonam de te famam viventes adhuc læti hilaresque accipiamus. En tu *Tobia* fili, vale: Jova te Deus cœlestis salvum perducatur, mihi que ex te & filia mea Sara liberos Jovæ studiosos, eique probatos ostendat, antequam moriar. Ecce Saram filiam meam in potestate tua: noli eam unquam male tractare. Ite sane incolumes. *S.* Valet, parentes charissimi! Valet, cognati & amici omnes! *T.* Ago Jovæ gratias,

b) Cupientem discedere hospitem remorari non oportet.

c) Mares fœminis suo modo præstantiores sunt.

qui me lætum reddiderit, & tot beneficiis tam mirifice affecerit.

## SENTENTIA.

*Uxoris est sequi virum, & propter eum parentes patriamque relinquere. Est enim matrimonij conjunctio arctior, quam naturæ.*

TOBÆVS. Tob. II.

## ARGVMENTVM.

Tobias ex Media reversus, venit ad parentes, & felle piscis oculos patris sanat a cœcitate: qua de re pater Deo gratias agit.

*Raphael, Tobias, Anna, Tobæus.*

**F**rater, tu scis, quam sollicitum reliqueris utrumque parentem. Quapropter antecedamus ego & tu, uxore una cum famulis, reliquoque nostro comitatu subsequente. *Tobias.* Bone mones. *Raph.* Præpara fel piscis. *An.* Atat, o mi vir! adventat meus Tobias, cum comite, curro ei obviam. *Raph.* Tui patris, quem video esse cæcum, oculi felle isto aperientur atque sanabuntur. Itaque cum ad eum accesseris, illinito ejus oculos isto felle: tum ille fellis mordacitatem sentiens, sibi oculos fricabit, atque ita dejecta albugine, & cœlum & te lætus videbit. *An.* O gnate, jam mortem non deprecor, postquam tuum conspectum cernere licuit. *Tobias.* Salve mea mater. Sed accedit huc pater. Hei mihi collapsus est: accur.

accurram. O mi pater salve. *Tobæus.* Salve, fili optatissime, ut vales? *Tobias.* Optime est. Deo gratia, Sed patere me tibi oculos illinere hoc felle: nam spero hoc tibi fore salutare. *Tobæus.* Libenter patiar. *Tobias.* Expectemus paulisper. *Tobæus.* Sentio fellis mordacitatem. *Tobias.* Frica tuos oculos. *Tobæus.* O supra modum mirandum miraculum! Nunc te liquido video fili, amplectere me. Gratias ago Jovæ Deo Israelitarum, qui cæcos illuminat, qui mihi oculos aperuit: cujus nomen nullis unquam seculis satis digni laudari poterit, qui in me hoc tantum munus contulerit. Hic vulnerat, & sanat: hic occidit & vitam dat: huic gratias ago, qui te nobis, feliciter expedito itinere, salvum lætumque restituerit.

## SENTENTIA.

*Deus suos a miseria tandem liberat. Medicina mordax. Deo gratiæ sunt agenda de omni hono.*

## RAPHAEL, Tob. 12.

## ARGUMENTVM.

Raphael Tobæo & Tobia, si mercedem solvere volentibus, se indicat, eisque officium præcipit.

*Tobæus, Tobias, Raphael.*

**T**obia, fili, solvamus isti homini, qui te comitatus est, mercedem: & eam cum

a) corol-

a) co  
midia  
Nam  
que u  
lit, &  
quæn  
Azari  
dimic  
vale.  
gratia  
ejus  
bus, f  
eum  
eum  
argen  
benef  
hil v  
tuaqu  
bus f  
plora  
majef  
tuos  
rebus  
verat  
bono  
tuam  
a) Ad  
b) Bo  
fi p  
c) Po

a) corollario. *Tobias.* Pater, demus ei b) dimidiam partem pecuniæ, quam illinc attuli. Nam is me incolumem duxit, & reduxit: meamque uxorem sanavit, & argentum a Gabele abstulit, & tibi oculos sanavit: pro quibus omnibus, quænam ei referri par gratia potest? Huc ades Azaria. Accipe, frater, mercedem tuam, id est, dimidiam pecuniam, quam illinc apportasti, & vale. *Raph.* Canite Jovæ carmen novum eique gratias agite, & ejus nomen celebrâte, pro tantis ejus in vos collatis beneficiis: crebrisque precibus, supplicationibus & beneficentia erga egentes eum affectate, quoad vivetis. Nam plus apud eum valet assiduum beneficentiæ officium, quam argenti aurique cœpiosa congeries: utpote cum beneficentia vindicet a morte. c) Equidem nihil vos de rei veritate celabo: Quo tempore tu, tuaque nurus Sara, sancti opem Numinis precibus suppliciter, magno cum animi angore, implorabatis, vestras ego preces (ut vos sciatis) ad majestatis solium subvehebam: cumque tu mortuos sepeliebas, aderam tibi: tuisque difficillimis rebus, ab Jova, qui te oculorum cœcitate tentaverat (solet enim hoc pacto periculum facere bonorum,) missus sum ad te sanandum, & Saram tuam nurum. Sum autem Raphael Genius, unus  
de

a) Additamento.

b) Boni viri est, plus etiam solvere, quam promisit, si plus accepit, quam speravit.

c) Postquam pios exploravit Deus, sese eis aperit.

de principibus, quid ad d) gloriæ folium famulantur. Nolite timere. Bene vobis se res habet. Agite Jovæ gratias pro tantis miraculis, quæ vobis exhibuit. Nam quod me, quamdiu vobiscum versatus sum, edere & bibere vidistis, species illa fuit, quæ vestris oculis observabatur: cum re ipsa neque ederem, neque biberem. Quare e) mandate hæc omnia literis, quæ vos vestri erga Deum officii per omnem vitam admoneant, utque hanc rem in omnem omnium ætatum æternitatem testentur: & Jovæ gratias agite, ejusque sacramentum memoriæ piæ retinete: meque jam absolvite, ut ad Deum me recipiam, a quo sum missus ad vos.

## SENTENTIA.

*Deus pius sæpe ne cogitantibus quidem prospicit.  
Per cruces ducit Deus suos ad felicitatem. Pi-  
orum primordia tristia, exitus lati.*

ACHIOR, Judith. 5.

## ARGUMENTVM.

Quærenti Oloferni de Judæorum statu narrat Achior: & quoniam eos invictos esse dicit, (nisi forte Deum suum offenderit) iratus Olofernes, eum jubet ad Betulienses Judæos deduci, ut una cum illis pereat.

Olo

d) Gloriosi Dei.

e) Literæ & vitæ magistræ sunt, & custodes antiquitatis.

*Olofernes, Achior, Proceres.*

**N**arrate mihi, vos Chananæi, de istius nationis hominibus, qui in montanis habitant, quas incolant Vrbes, quantum habeant copiarum multitudinem, quâ re plurimum valeant & possint, quo Rege & exercitus duce utantur: & cur soli ex occidentalibus mihi obviam venire neglexerint.

*A.* Audi domine orationem servi tui, enunciabo tibi rem omnem, ut sese habet, de gente istâ montana, quæ finitimos tibi fines incolit: neque ullum ex ore meo mendacium excidet. Homines sunt prognati<sup>a)</sup> a Chaldæis, qui principio Mesopotamiam incoluerunt. Cum enim deos patrios Chaldæorum detrectarent, patriisque moribus relictis, unum sibi Deum cœlestem ad adorandum delegissent, ab illis exagitati, in Mesopotamiam aufugerunt. Ibi cum aliquamdiu commorati essent, iussi a Deo suo in Chananæam commigrare, paruerunt; atque in Chananæa commorati, magnum auri argentique & pecoris numerum comparaverunt: Postea, dominante fame, in Ægyptum devenerunt: ubi tandem incoluerunt, donec in innumerabilem hominum multitudinem excreverunt. Deinde cum a rege Ægypti crudelius tractarentur, & lateres conficere indigne & labore servili cogerentur, Deum suum implorarunt, qui totam Ægyptum ineluctabilibus calamitatum ictibus perculit. Quibus malis contacti Ægyptii, eos tandem ab se emiserunt. Sed postea remisso malo, cum eos fugientes revocare,

rur-

a) Abrahamus enim Vre Chaldæorum oriundus fuit.

rursumque in servitatem redigere conarentur, Deus illis mare rubrum disclusit, ita ut ab utroque latere aqua in muri firmitatem concreta staret, qua illi via in sicco per medium maris solum pertransiverunt. Eodem Ægyptius exercitus consecutus, aqua submersus ita est, ut ex innumerabili multitudine ne nuncius quidem evaserit. Trajecti mare rubrum, in solitudinem montis Sinæ venerunt, ubi mortalium nemo consistere unquam, aut habitare potuerat: ibi dulces ex amaris fontes ad bibendum habuerunt, & victum de cœlo per quadraginta annos acceperunt. Ac quocumque unquam venerunt, Deus eorum hostes pro eis nullo arcu, nulla sagitta, nullo scuto, nullo gladio debellavit: b) neque unquam huic genti resisti potuit, nisi si quando a sui Dei cultu deflexit. Nam quoties alium Deum, quam suum, coluerunt, direpti sunt, & omnes a bello contumelias pertulerunt. Quoties autem Dei sui cultum repetiverunt, Deus eis cœlestes resistendi vires dedit. Ad extremum Chananæos, Jebusæos, Phezeos, Hettæos, Hevæos, Amorræos & fortissimos quosque Hesebonios deleverunt, eorumque agros & oppida occuparunt. Ac quamdiu sese a Deo suo offendendo continuerunt, multis bonis fructi, Deoque suo (qui improbitatem odit) prospere usi sunt. Et ante hæc tempora, cum ab ea vivendi ratione, quam eis Deus tradiderat, declinavissent, diversis diversarum gentium bellis pro-

fligati,  
 b) Pii invicti sunt, quamdiu pii manent. Sin a pietate deficient, vincuntur.

fligati  
 nes ca  
 lo æq  
 pilata  
 ex dif  
 fertos  
 (in c  
 Quare  
 sa sun  
 conce  
 est co  
 Deo p  
 morta  
 tribuit  
 resiste  
 ros, q  
 tus in  
 mus n  
 perari  
 præcla  
 fensun  
 Nabuc  
 statem  
 qui ab  
 intern  
 cabim  
 & car  
 e) Mu  
 con  
 d) Hu

fligati, & tandem frequentes in extraneas regiones captivi abducti sunt, eorumque & fanum solo æquatum, & oppida capta, & ab hostibus compilata sunt. Sed nunc ad Deum suum conversi, ex dispersione ac dissipatione congregati sunt, desertosque montes occuparunt, & Hierosolymam (in qua eorum sacrarium est) obtinuerunt. Quare disquirendum est, Domine, si qua in offensa sunt apud Deum. Nam si sunt, facile eos, ipso concedente, superabimus. Quod si nihil ab eis est commissum, bello superfedendum censeo, ne Deo pro eis propugnante, infamiam apud omnes mortales subeamus. *P.* <sup>c)</sup> Quis est iste, qui tantum tribuit Israelitis, ut eos putet Nabuchodonosori posse resistere? homines impelles, & rei militaris ignaros, qui me hercle unum tui, Olofernes, exercitus impetum sustinere non poterunt. Invadamus modo, & Achiori ostendamus, eos posse superari. *O.* Quoniam tu nobis istud oraculum, præclare vates, edidisti, Israelitas a Deo suo defensum iri, ut intelligas, <sup>d)</sup> unum esse Deum Nabuchodonosorem, contra cuius invictam potestatem ne illorum quidem Deus stare possit: nos, qui ab eo missi sumus, illos ad unum funditus ad internecionem ita delebimus, & equitatu proculcabimus, ut eorum montes sanguine redundant, & campi corporibus compleantur: citiusque illos

ad

<sup>c)</sup> Mundani humanæ potentiæ contra ipsum Deum confidunt.

<sup>d)</sup> Humana stultitia homines refert in Deos.

M

ad fugam, quam nos ad perdendum vires deficient. Hæc est totius orbis Domini Nabuchodonosoris indeclinabilis sententia. e) At tu Ammonitarum mercenarie, Achior, qui tam divinum nobis oraculum effatus es, esto sane tantæ participes potentiae, & quos nobis anteponis, ad eos desice, ut cum eis potius (ut dignus es) pereas, & inter eos a nostra acie contrucidatus des poenas. Quod si tantum tuæ superstitioni confidis, ut me, quæ suscipio, præstare non posse credas, quid metu exalbescis? hic tibi tuta sunt omnia: non peribis, nisi cum illis, quos perire non posse vaticinaris. Vos mei satellites, abripite hunc Betuliam ad suos Israelitas, ut illorum potius exitii, quam nostræ sit socius victoriæ.

## SENTENTIA.

*Veritas invisisa mundo. Etiam de veritate rogantes veritatem audire nolunt. Assentatorum plene sunt domus auresque potentium. Assentatorem qui amat, ruinam amat. Casum antecedit superbia.*

## JVDITHA. Judithæ 8.

## ARGUMENTVM.

Juditha Betuliensium Primates objurgat, quod de Urbis deditioe pacti sint: & eos consolata, sese ad eos succurrendum parat.

Judithæ

e) Impii eodem eum piis numero habent fautores piorum.

*Juditha, Ozias, & cæteri Senatores.*

**A**ttemptate Primates populi Betuliensis. Promissis populo, & quidem interposito jurejurando, vos Urbem hostibus post quinque dies esse dedituros, nisi Deus vobis interea tulerit auxilium. Itane vero tempus divinæ statuitis misericordiæ? & ei diem vestro arbitrio dicitis? Hocine tandem est Deum ad clementiam pellicere? an ad iracundiam instigare? Dicite mihi, vos, qui Dei voluntatem in certum quoddam curriculum includitis, potestisne, non dicam Dei, sed hominum animos, qui sint, & consilium pervestigare? Quid Dei, horum omnium auctoris? mentemne ejus tenetis? Nihil minus, fratres. Nolite Dei iram provocare. Qui si nolit intra quinque dies auxiliari nobis, at potest intra quot volet, potest nos quolibet die vel tutari, vel hostium crudelitati objicere. Vos vero nolite Dei quasi vadari consilium. Neque enim is est, ut aut minis, hominum more, terrendus, aut arbitrio cujusquam sit coercendus. Quare expectemus ab eo salutem, ejusque auxilium petamus. Spero eum, pro sua facilitate, nostras preces auditurum, præsertim cum nulla hodie in nostro genere neque tribus extet, neque natio, neque populus, neque civitas, quæ Deos colat fabriles: quæ res superioribus temporibus in causa fuit, ut patres nostri bello & direptionibus vastati, & ab hostibus magna clade concisi sint. At nos alium Deum non agnoscimus: unde sperare debemus, eum non esse nos, nostrumque genus despecturum. Quod si in

M 2

hosti-

hostium potestatem venimus, non tantum nobis nocuerimus, sed etiam reliquæ Judææ, nostraque sacraria depeculanda reliquerimus: quorum pollutionem, & consanguineorum nostrorum metum, & nationis captivitatem, & nostrarum possessionum vastitatem Deus temeritati nostræ accepta feret, & a nobis pœnas reposcet, ubicunque gentium sumus servituri, ut a nostris dominis indignitates & contumeliæ nobis sint perferendæ.

a) Neque enim talis servitus nobis Dei gratiam, sed hominum afferet infamiam. Quamobrem fratres (quandoquidem a vobis aliorum animi pendent, vobis sacrarium, vobis sanum, vobis arantitur) demonstrate consanguineis nostris, non esse desperandum: contraque quicquid acciderit, fortiter esse & constanter ferendum: Deoque in his omnibus gratias agendas, qui nos tentat, b) sicut olim patres nostros tentavit. Recordamini Abrahamum, Isaacum, Jacobum, Mosem, denique omnes veros Dei cultores & amicos, quot, quantos, quam varios perpeffi sint dolores. Constituite nunc altera ex parte eos, qui Dei periclitationis impatientes, contemptius de eo, & gravius & senserunt, & loquuti sunt, ut fœde perditii; & a serpentibus exanimati sunt. Quare ne horum desperationem sequamur, sed illorum superiorum fiduciam imitemur, cogitemus; nos non

a) Immerita servitus Dei misericordiam commovet, merita non item.

b) Etiam adversæ res interdum Dei beneficio immituntur.

ut hostes extremo supplicio affici, sed ut servos fontes salutari verberationis medicina corrigi. Oz. Recte tu quidem omnia, & quæ nemo neget. Neque nunc primum tua prudentia, intelligentia, consilium innotescit: quin jam ab incunte ætate vulgo compertum est, ista esse in te singularia. Sed & plebem sitis ad efflagitandum, & nos plebs ad jurandum adegit, quod jusjurandum violare nobis nefas est. Quocirca precare tu pro nobis Deum, quæ pia & religiosa mulier es, ut pluvia nostros lacus impleat, ne siti deficiamus. J. Quemadmodum igitur id, quod dixi, a Deo esse sentis: ita etiam id quod facere decrevi, an ab eodem proficiscatur, periculum facite, Deumque orate, ut meum consilium comprobet: sum enim facinus editura, quod omnis posteritatis memoria concelebrat. Vos hac nocte ad portam eritis: ego cum ancilla mea exibo: ac spero fore, ut Deus intra dies, post quos Urbis deditioem concessistis, per me Israelitas subveniat. c) Sed nolo vos in meum propositum inquirere (neque enim vobis, nisi re perfecta, enunciabo) neque quicquam aliud, nisi Deum pro me usque ad meum reditum orate. O. Bene vale, Deo tibi ad hostium ultionem viam præeunte.

## SENTENTIA.

*Deo præscribendum non est. Insontibus etiam in summa desperatione de Deo bene sperandum est. Magnum est innocentiae præsidium.*

M 3

OLO-

e) Gravia periculosaque consilia nemini (nisi urgeat necessitas) patefacienda sunt.

OLOFERNES. Judith. IO, II.

ARGVMENTVM.

Juditha ad Olofernem perducta, ei per dolum promittit de Judæis victoriam.

*Excubitores, Juditha, Milites, Olofernes.*

**C**ujas es mulier? unde, & quo? *J.* Ex Hebræis sum: quos quia exploratum habeo venturos in vestram potestatem, ab eis transfugio, meque ad Olofernem Imperatorem recipio, ut ei illorum arcana aperiam, viamque demonstram, qua omnibus montanis, sine suorum cujuscumque caede, potiatur. *E.* Bene tuæ vitæ prospexisti, quæ ad dominum nostrum venire, & cito venire decreveris. Nos te ante eum sistemus. Quo cum perveneris, nolito animo formidare, quominus rem omnem ei exponas. Nam hoc tibi confirmare possumus, te eo beneficio esse usuram. Deducamus eam ad Imperatoris tabernaculum. Vos reliqui interea excubias nihilominus habete. Nos centum seam ducemus. *M.* Heus tu, quomodo tam mane tanto studio & frequentia festinatur? *A.* Dicitur transfugam quandam Hebræam ad Imperatorem duci, quæ sit mirabili pulchritudine. *M.* Accurramus. O venustatem incredibilem! Quis militiam detrectet adversus Hebræos, qui tales habeant mulieres? pro quibus pugnando occumbere quis dubitet? *J.* Salve Imperator maxime! *O.* Allevate eam, mei satellites. Bono animo es mulier, depone animi metum, nam ego nemini unquam malefeci, qui terrarum orbis

orbis  
Quoc  
sent  
vissen  
Veru  
perfu  
fume  
steru  
tecur  
vis do  
tendo  
man  
ea di  
trade  
Ita v  
for,  
omn  
non  
feræ,  
tute  
tia, t  
crebr  
dissip  
mun  
tia a  
toto  
dita  
sibus  
orati

a) Sa  
b) B

orbis domino Nabuchodonosori servire voluerit. Quod nisi tui me, montium fiducia, contempserint, nunquam ego meam in eos hastam vibravisssem. Sed ipsi sibi malum hoc conflaverunt. Verum dic mihi, quam ob causam ab eis ad nos perfuga transferis. Nam <sup>a)</sup> ad salutem venisti: sume animum: vives in hanc noctem, & in posterum: neque tibi quisquam officiet: contraque tecum <sup>b)</sup> bene agetur, quomodo solet cum servis domini mei Regis Nabuchodonosoris. *¶* Attende igitur, quæ dicam, domine, & ea memoria manda. Dicam autem nihil vanum, (absit) sed ea dicam, quæ si sequi voles, rem tibi perfectam tradet Deus, neque tuus te conatus frustrabitur. Ita vivat omnium terrarum Rex Nabuchodonosor, & ejusdem tibi concredita potestas, a quo ad omnes mortales corrigendos missus es, ut per te non solum homines illi serviant; verum etiam feræ, pecora, volucres sub ejus imperium tua virtute subjiciantur. Nam non solum de tua sapientia, tuique ingenii acumine fama apud nos percrebuit: sed etiam per omnes jam oras sermones dissipati sunt, te unum esse toto in regno optimum, potentissimum, & in rei militaris prudentia admirabilissimum. Jam vero Achior quæ in toto concilio dixit, & quæ tu ei respondisti, audita nobis sunt. Nam comprehensus a Betulien-sibus, rem omnem eis exposuit: cujus tu cave ne orationem negligas, sed memoriæ tradas: est

M 4

enim

a) Saluti erit tibi adventus tuus.

b) Benigne.

enim vera: neque enim superari, neque armis debellari natio nostra potest, nisi Deum suum scelere aliquo sibi infestum reddiderit. Quare ne tuus labor irritus & inanis fiat, expectandum est, dum scelus quoddam, quod jam in animis conceptum habent, commiserint: quo scelere cum Deum irritaverint, facilem & sibi perniciem, & tibi victoriam conciliabunt. Cum enim comineatu & aqua conficiantur, statuerunt pecora invadere: & quæ gustare Deus in lege vetuit, omnia decreverunt infumere, frumentique primitias, & vini oleique decimas (quæ servabunt dicata Sacerdotibus, qui Hierosolymis apud Deum nostrum ministrant,) consumere habent in animo, quæ nec manibus tangere cuiquam profano fas est. Idque ut sibi facere liceat, miserunt Hierosolymam (nam & Hierosolymitani eadem fecerunt,) qui sibi potestatem a Senatu afferant: qua potestate ad eos relata, facturi sunt, quod dixi, & tum demum in tuam potestatem venturi. Horum ego omnium non ignara, ab eis aufugi, ejusmodi erga te facinus ex Dei mandato editura, ut ad ejus auditum omnes sint mortales admiraturi. Sum enim religiosa, cœlique præpotentem Deum noctesque diesque colo. Interea apud te commemorans, domine, noctu ititabo in vallem, Deumque precabor; qui ubi me certiolem de eorum perfecto scelere fecerit, veniam id tibi indicatum. Tum tu cum omnibus copiis, nullo ex eis repugnante, proficisceris. Te ego per mediam Judæam ad ipsam perducam Hierosolymam, tuumque

que  
quam  
nec  
cata,  
sum.  
milit  
cont  
quam  
tam  
erit,  
tum  
te ha  
alime  
mibi  
flare.  
Quid  
talia  
habe  
ego  
Deus

Q  
men  
is m  
& o  
is in

que currum in media Urbe fistam, ut eos tanquam pastore destitutas oves abigas, nullo tibi nec cane oblatrante. Hæc ego, mihi præsignificata, & prænunciata, ut tibi enunciarem, missa sum. *O.* Benefecit Deus, quod de populo præmisit: quæ res & nobis victoriam, & domini mei contemptoribus perniciem afferat. Quod si tu quam es & forma eleganti, oratione eloquenti, tam præstabis, quæ locuta es, & Deus tuus mihi erit, & tu Nabuchodonosoris domestica per totum orbem celebraberis. Agite mei servi, ducite hanc in meam cellam, eique de meo penu alimenta præbete. *J.* Dabis veniam: non licet mihi gustare tua, nisi velim mihi malum confare. Sed vescar eis, quæ mecum attuli. *O.* Quid, ubi quæ tecum habes defecerint, unde tibi talia subministrabimus? cum vestratia cibaria non habeamus. *J.* Sic tu bene vivas domine, ut ego non ante consumpsero, quæ habeo, quam Deus per me effecerit, quæ decrevit facere.

## SENTENTIA.

*Qui verum audire non vult, dignus est, qui mendaciis decipiatur. Qui veritati non credit, is mendacio facile capitur. Mulieris pulchritudo & oratio fallax. Bonum consilium qui repudiat, is in malum consilium cadit.*

VIRAGO. Judithæ 13.

## ARGVMENTVM.

Juditha noctu caput Olofernīs ferens Betuliam, portis apertis intrat, & caput illud ostendens, eis quid facto sit opus præscribit. Deinde quonam pacto Olofernem interfecerit, Achiori narrat.

*Juditha, Excubitores, Cives, Ocias, Achior.*

**H**eus, heus vigiles, aperite, aperite portam. Deus, Deus noster nobis adest, qui hodie insignem & præclarum victoriæ honorem tradit Israelitis. *E.* Judithæ vox auditur, socii: descendamus propere ad portam: convocentur huc Senatores, vos incendite faces. *J.* Vide Abra, ut istud caput habeas in promptu, ut id poscente me continuo de pera, una cum velo, depromas. Jam hic aderit <sup>a)</sup> omnis civitas. *C.* Præluceat funalibus vos: aperite portam vos: aperite portam janitores: intromittite eam, ut videamus, quid novi ferat. *J.* Laudate Deum, laudate Deum, qui ab Israelis stirpe misericordiam suam non avertit, <sup>b)</sup> sed hostes nostros hac nocte per meas manus fregerit. En vobis caput hostis vestri Olofernīs, summi Assyriorum Imperato-

<sup>a)</sup> Omnes cives.

<sup>b)</sup> Et tamen nondum victi erant hostes: sed perempto duce, certa erat victoria.

ratoris: en velamen, in quo ille jacebat ebrius: quem Deus mea facie deceptum, muliebri manu occidit, c) meque euntem, manentem, redeuntem, inviolatam, intemeratamque conservavit, neque ab illo violari permisit. Et nunc & illum vicisse & me evasisse, & vos liberatos esse lator: vosque ut Dei bonitatem infinitamque misericordiam prædicetis, exhortor. C. Agimus Deo nostro gratias, qui tibi tantam virtutem tribuerit, ut hodie per te nostros hostes in nihilum redegerit. Oz. O omnium mortalium sceminarum Deo acceptissima scemina! O cœli terrarumque creatoris Dei nunquam satis prædicandæ laudes, qui tuum vulnus in caput Principis hostium nostrorum direxerit, quo factò, tantam tibi hodierno die nominis gloriam comparavit, ut tu virtutis laus tandiu in hominum mentibus hæsuræ, & linguis celebranda sit, quandiu hujus immortalis Dei facinoris memoria durabit, quæ quidem in tantis nationis nostræ angustiis non dubitaveris vitam tuam ruinæ opponere, & jam despondentibus animos subvenire. J. Attendite nunc fratres: Hoc caput in pinnis murorum nostrorum suspendetis. Deinde orto sole universi armati eruptionem facietis, ita ut ad eorum oppugnanda præsidia descendere videamini. Tunc accidet (id quod erit necesse) ut ad Olofernis tabernaculum concurratur: quo invento mortuo, tantus illos timor occupabit, ut præsidium sibi in fuga ponant. Tum vos sequamini licebit, eosque pas-

sum

b) Occupatos in operibus piis tuetur Deus,

fim (Deo concedente) obteratis. Sed ante ac-  
 cerfatur mihi Achior Ammonita, ut Israelitarum  
 contemptorem (a quo ad nos, tanquam ad cer-  
 tam necem, amandatus est) videat. Adesdum  
 Achior, Deus Israelitarum (cui tu testimonium  
 dedisti, ultorem esse hostium suorum) capit  
 omnium infidelium hac nocte mea manu trun-  
 cavit. Quod ut ita esse credas, ecce tibi capit  
 Olofernus, qui sua arrogantia Deum Israelitarum  
 despiciabatur, tibi que mortem in communi Israe-  
 litarum cæde assignabat. *A.* O te non solum in  
 omnibus Judææ domiciliis, sed etiam in omnibus  
 gentibus felicem, cujus audito nomine homines  
 ad Deum laudandum excitabuntur. Sed jam  
 narra mihi, si placet, quomodo te hac tota in re-  
 gesseris. *ꝯ.* Principio cum hinc, (ut scis) pro-  
 fecta incidissem in vigiles, ab eis deducta sum ad  
 Olofernem: apud quem magna omnium expe-  
 ctatione iussa dicere, cur advenissem: simulavi,  
 me esse profugam, quæ desperatione rerum no-  
 strarum ad eum transissem, demonstravique ea,  
 quæ ex te audivisset, esse vera. Neque enim ge-  
 nus hoc hominum posse superari, nisi aliquo fa-  
 cinore admisso. Sed jam fame pressos Israelitas,  
 cogitare vesci eis, quibus vesci lex prohiberet:  
 quo scelere si se obstrinxissent, facile eos victum  
 iri. Quare expectaret, dum id scelus esset per-  
 petratum: mihi que interea in ejus castris versanti  
 faceret, quodcumque vellem, exeundi potesta-  
 tem, ut Deum precarer, & illo scelere commis-  
 so, a Deo certior fierem, eum que de eo admone-  
 rem:

rem:  
 didit i  
 Ita tri  
 valleri  
 que  
 Quart  
 accerf  
 imper  
 pidita  
 na, c  
 nuchu  
 relicta  
 oppre  
 pediff  
 lum n  
 (ad il  
 ut mi  
 colum  
 nis, a  
 ctum  
 do, D  
 firmar  
 que ca  
 to vel  
 escaria  
 ad sup  
 C. Sal  
 quæ n  
 d) Ad  
 e) In e  
 f) Ad

rem: cum demum enim esse superaturum. Credit ille, mihi quæ omnia quæ petieram concessit. Ita triduo in castris versata sum: noctu interim in vallem Deum <sup>d)</sup> salutandi gratia, ventitans, Deique præsens auxilium suppliciter implorans. Quarto denique die ab illo ad computationem accersita, adfui: ostendique, me, <sup>e)</sup> quicquid imperasset, esse facturam. Potatur: ipse mei cupiditate ardens, largius sese invitat. Clausa cœna, cum cæteri vini pleni discessissent, Vagao Eunuchus tabernaculum externe clausit, me ibi sola relicta cum Oloferne: qui ebrietate & somno oppressus, in lecto recubuerat. Hic ego, cum pedissequæ meæ mandavisset, ut extra cubiculum manens, exitum mihi tutum curaret, Deum (ad illius lectum stans) cum animo meo oravi, ut mihi tum meisque adesset. Deinde ad lecti columellam, quæ erat <sup>f)</sup> propter caput Olofernis, accedo: inde acinacem detraho, & ad lectum me applicans, sinistra cæsariem ejusprehendo, Deumque tacite precata, ut me in ea re confirmaret, collum summa vi bis ferio: amputatoque capite, corpus stragula veste provolvo & ablato velo exeo, ac pedissequæ caput trado: quo in escariam peram indito, ambæ de more, sic quasi ad supplicationem egressæ, huc tuto pervenimus. C. Salvi sumus, reviximus. O faustam noctem, quæ nos ab æterna nocte vindicas? A. Quamquam

d) Adorandi.

e) In ejus complexum esse venturam.

f) Ad

quam quod dixi Oloferni de Dei vestri potestate, non aliter dixi, quam sentiebam: §) tamen nunc multo magis hac re confirmatus, credo: voloque deinceps, non jam Israelitarum laudator, sed civis esse, & in vestrum numerum pignore circumfisionis adscisci.

## SENTENTIA.

*Superbus quisque turpissima morte dignus est.  
Vel fœminæ manu potest Deus hostes suos ulcisci.  
Cæso Duce, facile vincuntur milites.*

## SVSANNA. Daniel. 13.

## ARGVMENTVM.

Susanna a duobus senatoribus (quia ipsorum libidini obsequi recusasset) accusata adulterii, ad supplicium damnata ducitur. Sed divinitus supervenit Daniel, qui interrogationis prudentia Senatorum calumniam palam facit: atque ita in ipsorum caput supplicium convertit.

*Duo Senatores, Concio, Susanna,  
Daniel puer.*

**A**udite universa Judæorum concio, quamobrem ni vestrum iudicium adducta sit hæc Joachimi uxor Susanna. Heri cum nos duo iudices in hortis ejus mariti soli deambularem, hæc

g) Facta fidem augent.

cum duabus pedissequis ingressa est: quas ubi foras amandavit, hortorumque januam obseravit, venit ad eam quidam juvenis, qui tum in occulto latebat, & cum ea concubuit. Nos qui in hortorum angulo eramus, animadverso tanto flagitio, accurrimus, & eos vidimus quidem coeuntes, sed illum comprehendere nequivimus. Nam cum esset valentior quam nos, aperta janua exiit. Tantum hanc prehensam rogabamus, quis esset ille juvenis: sed noluit nobis enunciare. Hæc nos impositis huic reæ (sicut mos est) manibus testamur. *C.* Satis explorata res est. a) Senatores sunt, qui testificantur, & iidem iudices: dubitari non potest. Plectatur capite, quemadmodum lex jubet. *Suf.* b) O Deus immortalis, qui occulta nosti: qui omnia, etiam antequam facta sint, perspicias: tu scis, ut hi falsum contra me testimonium dixerint: ac vides, ut capite dem pœnas, cum nihil eorum commiserim, quæ isti contra me per calumniam malitiamque commenti sunt. *Sen.* Non est mirandum, si turpissimum facinus inficiatur. Sed interim ducatur ad supplicium, ut hoc tam detestabile facinus expietur, ne tam fœda in populo macula hæreat. *Dan.* At ego testor, me in hujus sanguinem nullo modo consentire. *Con.* Quidnam istud est, quod clamas tu? *Dan.* c) Itane stulti estis, Israelitæ, ut neque quæstione habita, neque

a) Primatibus temere credi solet.

b) Oppressi calumniis ad Deum confugiunt.

c) Judicare antequam cognoveris, stultitia est.

neque veritate comperta, Israelitidem condemnaveritis? Revertimini in forum. Dico, istos contra eam falsa esse testatos. *Sen.* Ergo tu feda in medio nostrum, & tuam nobis pronuncia sententiam, postquam tibi Senatus divinitus datur. *Dan.* d) Sejungite procul alterum ab altero, ut eos examinem. Adducite huc mihi istum. Veturule annis, veterator malitia, nunc tua te scelera petunt, quæ factitabas antea, cum infontibus condemnandis, fontibusque absolvendis, iniqua judicia faceres, Jova innocentem & justum interfici vetante. Nunc igitur, hanc siquidem vidisti, dic sub qua arbore congressos videris? *Sen.* Sub lentisco. *Dan.* Probe in tuum caput mentitus es. Jam enim Dei Genius, mandato ab illo accepto, discinet te medium. Amovete hunc, adducite huc alterum. Age e) genus Chananæum, non Judæum, te venustas decepit, tua tibi cupiditas mentem pervertit. Ita vero agebatis cum Israelitis, quæ præ metu in vestrum congressum veniebant. Sed non f) Judæ proles vestram nequitiam sustinuit. Age igitur, sub qua illos arbore congressos deprehendisti? *Sen.* Sub ilice. *Dan.* Tu quoque probe in tuum caput mentitus es, jamque præsto est Dei Genius cum ense, qui te medium dissecet, ambosque perdat. *Con.* O Dei bonitatem immensam, a quo

d) In testibus examinandis summa adhibenda cautio est.

e) Homo natu Judæus factis Chananæus.

f) Mulier fere Judæa. h. e. fortis & pudica.

quo nunquam deseruntur, qui in eo fiduciam suam collocarunt! Abripiamus ad necem hos nequissimos & improbissimos vetulos, ut ex lege eadem poena plectantur, quam innocenti moliebantur.

## SENTENTIA.

*Impii peccata peccatis tegere volunt. Deus innocentium preces exaudit. Impii in foveam cadent, quam piis excavarunt.*

## CHALDÆI. Dan. 2.

## ARGUMENTVM.

Nabuchodonosor Babylonix Rex Chaldaeos jubet, ut somnium quoddam (quod ipsi exciderat) dicant, & interpretentur. Quod cum illi non possent, imperat eos necari.

*Nabuchodonosor, Chaldaei.*

**A**gite vero conjectores, augures, arioli Chaldaei, homines explicandi, ea quæ sunt obscuritate involuta, peritissimi, evellite hunc mihi ex animo scrupulum, meumque mihi somnium aperite, cujus interpretationem anxius desidero: nam eam ob rem eslis convocati. **C.** Vitam tibi, Rex, sempiternam precamur. Eloquere sane nobis somnium, & nos id interpretando evolveamus. **N.** Oblitus sum: quod nisi vos & somnium mihi, & somnii significationem edisseritis, & vos per summum dedecus vitam amittetis, & vestrae

N

domus

domus <sup>a)</sup> complanabuntur. Sin autem editis, multis a me muneribus & præmiis atque honore afficiemini. Proinde facite, si sapitis. C. At somnium dicere tuum est: nos interpretationem recipimus. N. Enim vero video, vos ex eo excusationis occasionem arripere, quod videtis, eam rem mihi memoria excidisse. Sed nihil agitis: nisi enim me hac suspitione levatis, non potest esse dubium, quin uno omnes animo statueritis, me longis quibusdam ambagibus pessime deludere, & tempus consumere dicendo. Quamobrem eloquimini mihi somnium, ut intelligam, vos interpretari etiam posse. C. Nemo est in terra, qui istud præstare possit: neque quisquam Rex, aut Princeps, aut dominator tale quid quaesivit ex ullo divino. Est enim, quod tu rogas, omnino difficilius, quam quod possit quisquam expedire, præter unos deos, qui inter mortales non versantur. N. Papæ! Ergo vos prorsus inutilis esis, & hominum animis, inani præclaræ rei professione, tenebras offunditis. Quis vestri erit usus? Comprehendite, satellites, colligate, abducite ad extremum supplicium istos omnes nebulones. Jubeo ego atque impero, totum hoc tam indoctum & insipiens doctorum & sapientum genus ad necem trahi: ut quorum nullus in vita usus est, eorum mors sit viventibus salutaris.

## SENTENTIA.

*Deus sapientum sapientiam perdit. Deus sapientes hujus mundi implicat inexplicabiliter.*

DANIEL

a) Funditus evertatur, solo æquabuntur.

## DANIEL. Dan. 2.

## ARGUMENTVM.

Daniel Nabuchodonosori somnium ipsius dicit & interpretatur: quod quidem est de quatuor mundi imperiis, videlicet Chaldæorum, Persarum, Macedonum & Romanorum: quibus succedit regnum Christi, quod omnia illa abolet.

*Daniel, Ariochus, Nabuchodonosor.*

**N**oli interimere istos sapientes, Arioch, quos iussit Rex occidi. Sed deduc me ad eum, ego suscipio interpretationem. *A.* Placet, sequere me. *D.* Sequor. *A.* Nactus sum hominem ex captivis Judæis, o Rex, qui pollicetur interpretationem. *N.* Tunc is es, Balthasar, qui possis mihi & quid in somnis viderim, & quid significet, scire? *D.* a) Quod quæris arcanum, o Rex, non sapientes tibi, non conjectores, non arioli, non prodigatores possunt explicare: verum est in cælo abditorum demonstrator Deus; qui ea tibi præmonstrat, quæ olim eventura sunt. Igitur tuum somnium, & visum, quod tibi secundum quietem occurrit, huiusmodi est. Cum in lecto cubiculari jaceres, in cogitationem venisti, quid posthac futurum esset: id quod tibi ignotum ille doctor declarat. Idemque mihi, b) non

N 2

b) non

a) Arcana divina sunt huius mundi sapientibus inexplicabilia.

b) non propter excellentem sapientiam, qua unus cæteris mortalibus præstem, verum mihi idem aperuit, quo tibi plana faciam ea, quæ tu cum tuo animo cogitasti. Tibi in somnis objecta est species quædam, inusitata magnitudine simulachri, ante tuos oculos stantis, aspectu terribili: cuius caput erat ex auro probatissimo, pectus & brachia argentea, venter & femora ærea: pedes partim ferrei, partim cretacei. In eo spectando dum tu hæres, saxum sua sponte avulsam incidit in eos pedes, eosque contrivit, quo casu confractum simul est ferrum, creta, æs, argentum, atque aurum: omniaque fragmenta, ventus, tanquam æstate stipulas ex area, sic sustulit; ne vestigio quidem relicto. Ipsum autem saxum, quo icta est statua, mutatum est in ingentem montem, qui totum terrarum orbem complevit. Et hoc quidem est somnium. Jam interpretationem addemus. Tu Rex es Regum: tibi cœlestis ille Deus nobilissimum regnum, & præclarissimam largitus est potestatem: omnesque homines, quotquot ubique terrarum sunt, terrestresque bestias & æreas volucres sub tuum Imperium ditionemque subiecit. Ita tu caput aureum. Post te autem existet c) aliud regnum tuo deterius, id erit argenteum.

d) Deinde æreum, cuius ditio late e) in omnem terram

b) Gratiis, non merito meo.

c) Persicum.

d) Macedonicum.

e) Hyperbole; neque enim toti orbi imperarunt Macedones.

terrar  
& pla  
atteru  
lentia  
autem  
partin  
parte  
rum c  
partin  
tas, r  
valens  
rum v  
pinqu  
cohæ  
minar  
bit D  
ferie  
quod  
gna,  
Quen  
erutu  
numq  
præfig  
estque  
bum.  
que s  
tellect  
Dign  
nores

f) Ro  
g) Cl

terram patebit. Post f) quartum, surget durum  
 & plane ferreum. Ut enim ferri duritate omnia  
 atteruntur & comminuantur: ita ejus imperii vio-  
 lentia & rigor omnia violabit & contundet. Pedes  
 autem, pedumq; digitos quod vidisti partim ferreos,  
 partim fictiles, regnum illud dissidens erit, & ex  
 parte ferreum rigorem obtinebit, sicut vidisti fer-  
 rum cum argilla conjunctum. Illa vero digitorum,  
 partim ferro, partim argilla constansium, diversi-  
 tas, regni inæqualitatem loquitur, quod partim  
 valens partim debile futurum est. Quodque fer-  
 rum vidisti argilla conjunctum, illi quidem pro-  
 pinquitate inter se conjungentur, sed invicem non  
 cohærebunt, quomodo ferrum in terram ferru-  
 minari non potest. Ejus regni tempore suscita-  
 bit Deus g) regnum nulla unquam temporum  
 serie delendum, neque alii genti tradendum,  
 quod quidem franget & abolebit omnia illa re-  
 gna, ipsumque permanebit in sempiternum.  
 Quemadmodum vidisti e rupe saxum nulla manu  
 erutum, quod ferrum, terram, æs, argentum, au-  
 rumque perfregit. Ita Deus ille maximus tibi  
 præsignificat ea, quæ post hoc tempus futura sunt:  
 estque somnium certissimum, & cum re ad ver-  
 bum conveniens. *N. O* immensam ineffabilem-  
 que sapientiam! o profundum & ingeniosum in-  
 tellectum! afferte huc cito odores & libamina.  
 Dignus est, cui suffimina fiant, cuique divini ho-  
 nores præstentur. O Balthasar! vester Deus vere

N 3

Deus

f) Romanum.

g) Christi regnum mundi regnum abolet.

Deus est Deorum, Regumque dominator, & ob-  
fcurorum explicator, postquam tu rem tam pro-  
funda ignorationis caligine demersam, potuisti in  
lucem eruere.

## SENTENTIA.

*Deus arcana sua piis, & per pios etiam aliis  
patefacit. Omnia in deterius abeunt. Usque ad  
adventum Christi imperium æternum est.*

## F O R N A X. Dan. 3.

## A R G V M E N T V M.

Nabuchodonosor Babylonæ Rex erectam  
a se statuam auream imperat a cunctis suis  
populis congregatis adorari. Hoc cum Si-  
dracus, Mesacus, & Abednego Judæi facere  
recusassent, in ignis fornacem conjiciuntur.  
Sed cum ab igne indemnes fuissent, Nabu-  
chodonosor ipsorum Deum solum esse con-  
fessus, imperat adorari.

*Sidracus, Mesacus, Abednego, Præco, Dela-  
tores, Nabuchodonosor, Proceres.*

**Q**uorsum pertinet tanta hominum multitudo,  
a tam diversis nationibus in hunc locum  
convocata? *M.* Nescio, nisi quod, dum video  
immanem illam statuam, jussu Regis erectam,  
metuere incipio, ne quid Rex impium cogitet.  
*A.* Ego quoque valde commoveor: ac ne velit  
eam adorari, vereor. *S.* Quid agemus igitur,

fi just  
hoc q  
Qua  
nem,  
inanis  
bere ?  
aut co  
preca  
mus i  
Satis  
pus fu  
per in  
excus  
qui n  
unus  
Deo  
anim  
hone  
libet  
dant  
Deu  
ses?  
& fo  
de v  
laud  
anim  
& vi  
proc  
a) D  
b) E  
t

fi iusserit? *A.* Nos vero non adorabimus: etiam hoc quidem esset Deo cultum renunciare. *S.* Qua tandem istud ratione? *A.* Rogas? Hominem, vivam Dei immortalis effigiem, ad pedes inanis & stupidi rei mortalis simulachri procumbere? Quid indignius, aut magis impium fieri aut cogitari potest? *M.* At licebit, periculi deprecandi gratia, cultum simulare, cum tamen animus in Deo semper fixus hæreat. *A.* Apage sis: Satis ne se viro probaret mulier, si cum alteri corpus suum prostitueret, se tamen virum suum semper in animo ferre diceret? Hæccine tibi justa excusatio videretur? *M.* Nequaquam. *A.* Atqui non minus est hoc absurdum. Tunc, qui unus es, te ipsum divides, & alteram tui partem Deo, alteram a) Vejovi addices? Quæ tanta animi mollities est, aut quæ perversitas, nos, quos honestum esset propter mortales dominos quamlibet mortem oppetere, quique b) id in aliis laudamus, metu frangi, & ab officio & pietate erga Deum immortalem deduci? *S.* Quid ergo censes? *A.* Subeundum quemvis cruciatum potius, & fortiter occumbendum, quam tantillum modo de via deflectendum. *S.* O masculum pectus: laudo te: equidem ita sentiebam, sed volui quid animi haberes tentare. Verum edicitur silentium, & video in loco edito præconem: audiamus quid proclamet. *P.* Pax sit rebus. Edico vobis, qui

N 4

ex

a) Diabolo.

b) Eos laudamus, qui propter mortales dominos mortem oppetunt.

ex quacunque natione, populo, lingua, præsentes  
 adestis, ut simul atque sonum audietis tubæ, tibiæ,  
 citharæ, sambucæ, psalterii, symphonix, & reli-  
 quorum concentuum, procumbatis & signum au-  
 reum adoretis, quod Rex Nabuchodonosor eri-  
 gendum curavit. Quod si quis non paruerit, con-  
 tinuo in igne calentem fornacem injicietur. *S.*  
 Deum immortalem, quod scelus video? Eone  
 impietatis & insanix prolabi homines, ut id tan-  
 quam Deum colant, quod hominum manu fa-  
 ctum, homine deterius est & inferius. *M.* O ve-  
 saniam! illud vide sis, ut prociderunt omnes?  
 Ego certe centies mori malim. *D.* Videtisne il-  
 los tres Judæos, qui non procubuerunt? *A.* Vi-  
 deo: enunciandum id est regi. *D.* Recte sane  
 eamus ad eum. *A.* Adeone concidisse constan-  
 tiam, ut in tanto numero nullus sit, quem non  
 labefactaverit metus? *D.* Optamus tibi, Rex, vi-  
 tam quam longissimam. Tu edicto cavisti, ut  
 omnes audito cantu musico procumberent: &  
 aureum simulachrum adorarent: rebellibusque  
 pœnam descripsisti, ut igni cremarentur. Nunc  
 homines quidam Judæi, quos tu procurationi Ba-  
 bylonicæ præfecisti, Sidracus, Mesacus, & Abed-  
 nego, tuum edictum contemnunt, neque eosdem  
 tecum Deos colere, neque statuam adorare cu-  
 rant. *N.* Ita ne est? Ergo invenientur, qui  
 meum imperium detrectent? Ergo ego non  
 maximus? Properate, adducite eos propere.  
*D.* Fiet. *N.* Jam ego eos docebo, quid sit mihi  
 non obedire: jam efficiam, ut sciant, me esse  
 Regem.

Regem  
 N. Ita  
 vos n  
 statua  
 faltem  
 ficis,  
 nus in  
 est De  
 hil sur  
 deam  
 potest  
 bus, o  
 ita ef  
 Deos  
 naren  
 dem:  
 in os  
 jicite  
 qui n  
 exerc  
 te. I  
 fles:  
 volo:  
 quid p  
 vobis  
 e) Cu  
 anir  
 d) Int  
 e) Est  
 f) Pri  
 feru

Regem. *D.* Adducimus tibi homines, o Rex!  
*N.* Itane est Sidrace, Mesace & Abednego, ut  
 vos neque meos Deos veneremini, neque auream  
 statuam a me erectam adoretis? Quid <sup>e)</sup> nunc  
 saltem non estis parati, auditis concentibus mu-  
 sicis, accedere ad eam? Nam nisi facitis, proti-  
 nus in fornacem immittimini. <sup>d)</sup> Ecquis vero  
 est Deus, qui vos a meis manibus liberet? *S.* Ni-  
 hil sumus solliciti, quomodo tibi ad ista respon-  
 deamus. Est Deus, quem nos colimus, qui &  
 potest nos ex flammis servare: & ex tuis mani-  
 bus, o Rex, profecto servabit. Quod etsi <sup>e)</sup> non  
 ita esset, tamen omnino ( ne tu erres ) neque  
 Deos tuos coleremus, neque ante statuam incli-  
 naremur. *N.* Proh Deum atque hominum fi-  
 dem: tanta esse quenquam audacia, ut ausit mihi  
 in os repugnare? <sup>f)</sup> Ite, comportate ligna, sub-  
 jicite igni alimenta, efficite eum septuplum hujus,  
 qui nunc est. Vos vero, o fortissimi viri totius  
 exercitus, comprehendite hos tres viros, colliga-  
 te. Eja, quid statis? nihil opus est detrahere ve-  
 stes: vincite una cum omni amictu. Hem sic  
 volo: præcipitate eos in flammam, videamus  
 quid possit eorum Deus. Properate ignavi: ego  
 vobis hoc sceptro comminuam capita. Papæ,  
 N 5 videte

<sup>e)</sup> Cupiebat eis parcere, itaque non statim in eos  
 animadvertit.

<sup>d)</sup> Intoleranda hominis impiaque superbia.

<sup>e)</sup> Etsi non esset nos servaturus.

<sup>f)</sup> Principes pietatem suis imperiis anteponi ægerrime  
 ferunt.

videre ut g) flamma eos hauserit, qui ipsi in flammam alios conjecerint. Sed quid? o rem miraculi plenam: quid ego video? Eho, mei proceres, nonne tres viros in ignem constrictos injecimus? *P.* Factum, Rex. *N.* Atqui ego video quatuor viros solutos in media fornace ingredienti, illæsos & indemnes: quorum h) quartus forma est augusta, & plane divina. O rem inauditam! Accedam propius ad ostium fornacis. Heus Sidrace, Meface, & Abednego, summi Dei cultores, excite huc. *S.* Adsumus, o Rex, e torrida flamma divina benignitate erepti. *Pr.* Dii boni, quid hoc rei est? quanta miracula hodie cernimus? Videte subditi, ut ignis in horum corpora nullam vim habuerit: ut ne pilus quidem crematus sit: ut amictus integri, nulla flammæ nota iniusti sint. *N.* Gratias ago Deo Sidraci, Mefaci & Abednegonis, qui genium suum miserit ad liberandum sui cultores: qui ipsius fiducia nixi, spreto Regis edicto, maluerunt sua corpora ad cruciatum tradere, quam ulli Deo, præterquam suo, ullum cultum aut honorem habere. Itaque i) decerni placet, decretumque in omnibus omnium linguarum nationibus & gentibus promulgari, ut qui male de hoc Deo dixerit, turpissimo exitio plectatur, ejusque domus publice-

g) Sic impiis accidit, ardebunt aliquando, quod in pios sævierint.

h) Is erat Dei genius.

i) Miraculis ad religionem interdum alliciuntur, qui verbis non potuerunt.

tar &  
mine  
sens a

Ma  
quam  
colere.  
Princ  
mediis

A  
Baby  
plana  
Chal

Nu  
idone  
fi cur  
R. R  
divi,  
tibi h  
neve

a) M  
vin  
fic  
cu  
fiar

tar & evertatur, ut illius facinus memoria & nomine loci notetur. Nam præter hunc unum præfens ac salutis præpotens Deus nullus est.

## SENTENTIA.

*Maxima pars mundi homines magis metuit, quam Deum. Mori satius est, quam simulachra colere. In justissimum quemque gravissime sæviunt Principes hujus mundi. Deus suos novit vel ex mediis flammis eripere. Pii patiendo vincunt.*

## BALSASAR. Dan. 5

## ARGUMENTUM.

Accersitus ex matris consilio a Balsasare Babylonix Rege Daniel vates, ei legit & explanat scriptum manus in pariete, quod Chaldæi non potuerant.

*Balsasar, Regina, Daniel.*

**N**ullum ne esse e vobis, qui hoc legere & explanare possit? O homines ad nullam rem idoneos. Quid attinet vos in tanto honore esse, si cum maxime opus est, tum minime potestis?  
*R.* Regem multum diuque salvere jubeo. Audivi, ut tu te crucies & æstues, quod nemo possit tibi hoc scriptum enucleare. Sed ne te afflicta, neve tantopere pertimesce. <sup>a)</sup> Vir est quidam in

a) Mirum est, Daniele Balthafari non ante omnes divinos venisse in mentem, præsertim ab ipsius patre sic honoratum. Sed sic est: falsi vates aulas sic occupare solent, ut verorum aut nulla aut certe sera fiat mentio.

in tuo regno, mente sanctissimorum deorum præditus, cujus excellens perfectaue doctrina, peritia, sapientia tempore patris tui cognita perspectaque fuit, quo nomine Rex, eum magorum, ariolorum divinorum, Chaldæorumque magistrum esse voluit, quod cum Daniele (nam ist est eius nomen, quanquam Rex Balthasarem nuntupavit.) compertum esset singulari ingenio & prudentia valere, inque somniis interpretandis, ambiguisque aperiendis, & obscuris declarandis longe alios omnes antecellere. Proinde si me audies, eum evocabis, ut te ista difficultate liberet. *B.* Evocetur sane. *R.* Mox aderit, ne trepida. *D.* Adsum tuo accersitu, o Rex. *B.* Tunc es ille Daniel; ex captivis Judæis, quos meus pater huc e Judæa traduxit? *D.* Etiam. *B.* Audio te afflatu augustissimorum Deorum agi, scientiaque & prudentia atque sapientia facile principem esse. Eam ob rem te advocavi. Sed quam ad rem, audi. Cum hic læte solutoque animo opipare convivarer, una cum mei regni optimatibus, ecce extitit quædam quasi manus, quæ digitis inscripsit in tectorio parietis e regione candelabri, & quæ tu vides: ad quæ explicanda evocavi omnes Babylonios sapientes: sed eorum nemo non modo interpretari, sed ne legere quidem potest. Te autem accepi implicata evolvere, & obscura optime declarare posse. Nunc itaque si potes hoc legere, & mihi quid sit, eloqui, purpura & aureo torque insignitus, tertium regni principatum obtinebis. *D.* Tua tibi dona habeto, aut ea alii lar-

largito  
tibi pl  
Nabu  
magn  
qua d  
pide n  
erat i  
b) Sec  
ranter  
turba  
num  
ram f  
& her  
imbre  
nuda  
vit fu  
Princ  
Tu q  
te m  
omni  
Dom  
stris e  
que p  
næ, i  
celeb  
gno  
b) Re  
c) Æ  
fra  
d) Q  
dip

largitor. Ego tamen hoc scriptum & legam, & tibi planum faciam. Itaque ades animo, o Rex! Nabuchodonosori patri tuo olim largitus est Deus magnificum regnum, splendoremque egregium. qua de causa omnes eum gentes & nationes trepide metuebant: quippe qui quoscunque visum erat interimeret, caderet, efferret, deprimeret.

b) Sed cum jam secundis rebus elatus, intemperanter superbiret, & animos tolleret, de folio deturbatus est: & omni splendore amisso, ex hominum consortio ejectus, c) tum in brutam naturam sensumque translatus, inter feras habitavit: & herbarum passu, boum ritu, delectatus, ventos imbresque, & omnes naturales cœli mutationes nudato corpore pertulit, donec tandem recognovit summum illum Deum, terrestris hujus imperii Principem esse, & ei, quem vellet, præficere. Tu quoque Balsasar, qui es ejus satù editus, nihilo te modestiorem præbuisi, d) cum tamen ea omnia præclare scires: Sed te contra cœlorum Dominum insolentius gessisti: & nunc vasa terrestris ejus domicilii proferri jussisti, quibus tu tuque proceres, & uxores, tum justæ, tum concubinae, in bibendo vino abusi estis. Quin etiam Deos celebravisti aureos, argenteos, æreos, ferreos, ligneos & lapideos, qui neque cernunt, neque audiunt,

b) Rebus secundis superbiunt homines.

c) Æquum est, ut qui se supra hominem effert, is infra hominem amandetur.

d) Qui æquum novit, nec sequitur, is graviore pœna dignus est.

audiunt, neque sentiunt: Deo autem, in cuius manu tua vita & facta omnia sunt, nullum honorem habuisti. Quare ab eo missa est hæc manus, cuius scriptum hoc est: Mensus est, mensus est, ponderavit & divisit: Sensus autem: Mensus est: mensus est Deus tuum regnum, & id consummavit. Ponderavit: ponderatus es in trutina, & inventus levior. Divisit: divisum est tuum regnum, Medis, Persisque distributum.

## SENTENTIA.

*Quum maxime opus est, tum minime juvant huius mundi sapientes. Quum trepidat & nihil potest humana sapientia, tum maxime sese exerit divina. Qui alieno exemplo non sapit, is suo periculo maloque dignus est. Hominum imperia in Dei sunt arbitrio.*

H A M A N. Ester. 7.

## ARGVMENTVM.

Estera Regina Regi Assuero patefacit perfidiam Hamanis in Judæos, eamque ob causam Rex illum jubet in crucem tolli, ab eo ipso erectam ad tollendum in eam Mardocheum Judæum.

*Assuerus, Estera, Haman, Harbona.*

**L**aute sane & prolixè a te accepti sumus, Regina, uxor clarissima. Quamobrem roges jam, quidlibet licet, id rogatum feres. Dic quid petas:

petas  
trabis  
& si  
ribus  
prodi  
stinat  
tacita  
qui t  
peri,  
etiam  
hostis  
est pe  
minu  
inver  
infla  
mibi  
mun  
hoc  
na, j  
pote  
Sed  
men  
maje  
ad le  
ne u  
Cor  
tuea  
fit in  
mer

a) Fa  
sp

petas: sit vel dimidium regni mei, tamen im-  
 trabis. *E.* Si quidem habeo te propitium, o Rex,  
 & si ita tibi videtur, vitam mihi, meisque popula-  
 ribus concedes. Hoc unum peto. Nam fumus  
 proditi, & indignissimo crudelissimoque exitio de-  
 stinati. Quod si fervituti addiceremur, equidem  
 tacita ferrem: quanquam indignus esset hostis,  
 qui tantum Regi damnum comparet. *A.* O su-  
 peri, quis hominum est tam audax, ut id ausus sit  
 etiam cogitare? aut ubi est? *E.* Ecce hic adest  
 hostis infestissimus, homo hominum quantum  
 est pessimus, Haman. *A.* Proh Deum atque ho-  
 minum fidem! o cœlum, o terra, ardeo: Tanta  
 inventum esse quenquam audacia? *H.* Exiit ira  
 inflammatus. Quantum ego illum video, res  
 mihi ad restim rediit. Sed tamen tentabo ani-  
 mum Reginae, si forte miserescat mei. Quod si  
 hoc non succedat, actum est, ilicet, perii. Regi-  
 na, jam non deprecor culpam, merui, fateor, nec  
 potest ullum supplicium majus esse meo crimine.  
 Sed te supplex, genua amplectens, per istam cle-  
 mentiam. *A.* Quem neque pudor, neque mea  
 majestas deterruit. Sed quid video? Atat, etiam  
 ad lectum Reginae? O magne Jupiter! a) etiam-  
 ne ut Regina domi apud me vi comprimatur?  
 Corripite, velate vultum: indignus est qui lucem  
 tueatur. *H.* At etiam si scias, quid machinatus  
 sit in Mardocheum, hominem de te, Rex, optime  
 meritum, utpote per quem facta in Te conjuratio  
 pate-

a) Falso equidem hoc suspicatur Asverus, sed ira su-  
 spicax est, & causæ discussionem non expectat.

patefacta sit. Crucem ante domum suam in altitudinem cubitorum quinquaginta erigendam curavit, in quam eum tolleret. *A.* Percommode cadit, autorem in eam tollite, ut eadem, qua alios captat, via capiatur.

## SENTENTIA.

*Muliebrium illecebrarum magna vis est in utramque partem, hoc est, vel ad nocendum, vel ad juvandum. Malum consilium consultori pessimum. Impii suo ipsorum laqueo jugulantur.*

ARTAXERXES. Nchem. 2.

## ARGUMENTVM.

Nehemias a Rege Artaxerxe veniam & opes impetrat, eundi instauratum urbem Hierosolymam.

*Artaxerxes, Nehemias.*

**Q**ui fit, ut vultu sis adeo tristi, cum non ægrotes? Mirum ni animi tristitia est. *N.* Rex, in perpetuum vive. Possum ne non tristi vultu esse, cum Urbs, in qua sepulchra sunt majorum meorum, everfa sit, & ejus portæ igne deflagraverint? *A.* Quidnam ergo petis? *N.* Si tibi videtur, & si quid apud te valeo, ut me dimittas in Judæam, ad instaurandam Urbem patriam. *A.* Ego vero dimitto. Tu dicito; quid tibi ad istud fieri velis? *N.* Curabis, si placet, ut mihi dentur literæ ad Prætores Syriæ, qui me curent deducendum, dum perveniam in Judæam. Deinde  
literæ

literæ  
mihi  
quæ  
mum  
quæ p  
tibi qu  
preco

Reg  
quocun  
huic co

Ex  
erga  
divite  
Ple

**M**<sup>a</sup>  
de fru  
sunt fr  
mento  
nostris  
dum,

a) Ven  
b) Eju  
tion

literæ ad Afaphum regis sylvæ custodem, qui mihi ligna suggerat, ad reficiendas portas arcis, quæ est ædi conjuncta: Urbisque mœnia, & domum, in quam sum diversurus. *A.* Dabuntur, quæ petis. *N.* Ago tibi gratias immortales, Rex, tibi que fortunatissimum, longissimumque regnum precor.

## SENTENTIA.

*Regis animum Deus habet in manu, eumque, quocumque vult, inclinat. Cui propitius est Deus, huic conciliat benevolentiam potentium.*

NEHEMIAS. Nehem. 5.

## ARGUMENTUM.

Expostulant pauperes Judæi de divitum erga se iniquitate avaritiæ. Et Nehemias divites cogit in ordinem.

*Plebeji, Nehemias, Primates, Sacerdotes, Populus.*

**M**agnus est tum nostrum, tum nostrorum liberorum numerus: <sup>a)</sup> comparandum est inde frumentum, quo vivamus. *Al.* Oppignorandi sunt fundi nostri, & vineæ, & domus, ut nos frumento contra famem muniamus. *Al.* Jam pro nostris agris, & vineis, ad tributum Regi pendendum, pecuniam sumpsimus mutuam: <sup>b)</sup> An æquum

<sup>a)</sup> Vendendi sunt, ut comparemus.

<sup>b)</sup> Ejusdem generis homines tam dispari esse conditione, iniquum est.

O

æquum est, cum ejusdem nobiscum confanguinitatis sint alii, eademque sit liberorum eorum atque nostrorum conditio, vos tamen liberos nostros in servitutem dedamus, sintque jam filiarum nostrarum nonnullæ emancipatæ, neque eas vindicare possimus, cum fundos & vineas nostras teneant alii? *N.* O indignum facinus! Itane vero, Principes, fœnus a vestris exigitis? Ergo nos confanguineos nostros Judæos, in exterarum gentes venditos, pro nostris viribus redemerimus: & vos eosdem emetis, ut dominos non amiserint, sed mutaverint? Non recte facitis. Nonne in metu Dei nostri vivetis, ut barbarorum hostium nostrorum vituperationem evitetis? Ego quoque, & mei cognati atque famuli, argentum eis, frumentumque mutuo dedimus. Agite, remittamus hoc nomen, reddite eis hodie agros suos, & vineas, & oliveta, & domos: tum centesimam condonate argenti, & frumenti, & vini, & olei, quæ eis mutua dedistis. *P.* Reddemus, neque ab eis quicquam exigemus. Sic faciemus ut tu hortaris. *N.* Vos vero Sacerdotes, jurate vos ita facturos. *S.* Faciemus. *N.* Ergo quemadmodum ego meum gremium excutio, si quicumque non hæc præstiterit, eum excutiat DEUS ex domo & labore suo: sicque esto excussus, vacuusque. *P.* Amen.

## SENTENTIA.

*Avaro homine nihil est iniquius. Avarus animum venalem habet. Multum pollet etiam apud iniquos, justus & gravis homo.*

VERI

## VERITAS. Esd. 3.

## ARGUMENTVM.

Darius Persarum Rex proponit optimatibus suis trium stipatorum suorum sententias ad iudicandum, quænam esset optima. Sunt autem eæ, de viribus vini, Regis, mulierum & veritatis. Hic quum stipatores iussu Regis suæ quisque sententiæ rationem reddidissent, palmam obtinuit Zorobabel, qui veritati primas tribuisset: & a Rege, præter statutum disputationis præmium, impetrat, ut Hierosolymitanum sanum instauret.

*Darius, Anagnostes, Stipator, Alter stipator, Zorobabel, Optimates.*

Hæc causa est, mei proceres, cur vos iusserim convocari. Cum mei corporis custodes, dormiente me, inter se (ut fit) confabularentur, eo delapsi sunt, ut certatim dicerent suam quisque sententiam, ecquæ res maximam vim habeat, ea conditione, ut cuius dictum ego & Perfidis triumviri doctissimum iudicassetus, huic victori pronunciatum ea darentur, quæ jam audietis. Recita schedulam. *An.* Cujus dictum sapientissimum erit, is a Dario Rege ingentia dona, & victoriæ ornamenta consequitur, purpuraque induitor, & auro bibito, & in auro dormito: & aureis frenis

frenis currum, byssinamque cidarim, & torque circumdatum collum habeto, & secundum Darium primus propter suam sapientiam sedeto: Dariique familiaris dicitur. Primi sententia est hæc: Maximam vim habet vinum. Alterius: Maximam vim habet Rex. Tertii: Maximam vim habent mulieres, sed omnia vincit Veritas. *D.* Nunc evocentur huc juvenes, ut ipsi sua dicta declarent. Dicite juvenes suæ quisque sententiarum rationem. *a) St. prim.* Quantam vim habet vinum, o viri? Omnes, a quibus bibitur, homines fallit: eandemque Regis ac privati, eandem servi ac liberi, eandem pauperis ac divitis mentem efficit, omniumque animos ad lætitiæ & hilaritatem convertit: neque doloris ullius, neque debiti memor, omnium animos *b)* divites reddit? oblitumque vel Regis, vel satraparum: efficit ut nihil nisi magnificentum loquantur: utque cum potaverunt homines, & fraternæ necessitudinis & amicitiarum memoria deposita, continuo gladios stringant: neque postea, ubi a vino resipuerunt, quid fecerint, recordentur. O viri, *c)* nonne permagnam vim habet vinum, quod hæc fieri cogat? *Al.* O viri! nonne permagnam vim habent homines, qui & terras, & maria, quæque in eis insunt, omnia teneant? Atqui Rex omnibus antecellit & dominatur, in eosque principatum

tenet,

*a)* De vini viribus.

*b)* Facit ut se putent divites.

*c)* Si homines tantum possunt, & Rex ipsis imperat, certa plurimum potest de regis viribus.

tenet,  
iuter  
tit, v  
liuntu  
dictur  
omni  
tera,  
runt,  
fueru  
alium  
mere  
berar  
const  
dunt:  
popu  
interi  
circu  
quam  
que  
viri,  
tur.  
mult  
his de  
tenet  
nuer  
ac te  
educ  
fit: l  
glori  
esse.

*d)* D

tenet, ita ut quicquid jubet, faciant. Si jubet, ut inter se belligerent, parent: si contra hostes mittit, vadunt, & montes & muros, & turrets demoluntur: occidunt, & occiduntur, neque Regis dictum excedunt. Quod si vicerunt, ad Regem omnia referunt, tum quæ prædati sunt, tum cætera. Item, qui non militant, neque bella gerunt, sed terram colunt, hi quoque ubi fata mesuerunt, ad Regem referunt, coguntque alius alium tributa Regi ferre. Is unus si jubet perimere, perimunt: dimittere, dimittunt: jubet verberare, verberant: jubet vastare, vastant: jubet construere, construunt: jubet excindere: excindunt: jubet serere, serunt: cunctusque ejus tum populus, tum magistratus eidem parent: eoque interim accumbente, cibum capiente, dormiente, circum undique custodiam agunt: neque cuiquam discedere, & sua negotia curare licet, neque ejus dictis non parere. Quare sic statuo, viri, Regis maximam esse vim, cui sic obtemperetur. Z. Magnus quidem Rex est, viri, homines multa, & vinum multum potest. d) Quid, qui his dominatur? Quis autem horum principatum tenet? nonne mulieres? Mulieres Regem genuerunt, & omne mortalium genus, quod mari ac terra dominatur, ab his ortum est: hæ ipsos educaverunt vinearum fatores, ex quibus vinum fit: hæ hominum vestes faciunt: hæ hominibus gloriæ sunt, nec possunt sine fœminis homines esse. Quod si aurum argentumve, aut aliquam

O 3

rem

d) De mulierum viribus.

rem præclaram comparaverunt, nonne pulchra alicujus, & eleganti forma mulieris amore capti, his omnibus omissis in eam oculos defigunt? eam hianti ore intuentur? auroque & argento, & omnium rerum pulchritudini anteponunt? Homo, omisso suo ipsius parente, a quo educatus est, suaque patria, exori adhærescit, & cum uxore vitam finit, & patris & matris & patriæ immemor. Atque ut perspiciatis, mulieres in vos dominari, nonne quæ labore & industria paratis, omnia mulieribus datis atque affertis? Sumit homo gladium, & foras ad latrocinandum & furandum proficiscitur, & mare & flumina tranat, & leones videre sustinet, & per tenebras grassatur: atque ubi furatur, prædatus, grassatus est, ad amicam omnia refert: plusque diligit suam conjugem, quam parentes: usque adeo, ut propter scæminas multi mente alienati, multi servi facti sint, multi perierint, multi lapsi sint & peccaverint. Quid? an mihi non creditis? nonne ingens Regis potentia est? nonne omnes eum nationes vel tangere formidant? Atqui videbam, cum hominis præclarissimi Bartaci filia Apame, Regis concubina, ad Regis dexteram sedens, de ejus capite diadema auferret, suoque imponeret, tum Regis malam sinistra manu feriret, Rege interea eam ore hianti aspiciente, & arridenti arridente, & succensenti blandiente, quo eam sibi reconciliaret. An non multum valent mulieres, o viri, quæ hæc faciunt? Multum sane & mulieres polent, & ingens terra est, & excelsum cælum, & sol

sol cursu velox, qui uno die cœlum circumvectus, eodem recurat, unde profectus est: e) magnus sane est: sed veritas maxima est, & omnium potentissima. Veritatem omnis terrarum orbis vocat: veritati cœlum ipsum favet: veritatem omnia reformidant & tremiscunt: neque quicquam in ea vitiosæ mulieres, vitiosi mortales omnes, & ejusdem vitiositatis sunt eorum opera omnia, in qua vitiositate veritatis expertes pereant. At veritas æterna pollet, & perpetuo vivit vigetque: neque ea est, quæ cujusquam ratione de recto deflectat, ac non eadem sit omnibus: Sed ab omni iniquitate & pravitate aliena, æquum facit, ejusque facta probant omnes, nec inest in ejus judicio quicquam iniquum. Cæterum & ab hac, & a regia magnificentia, & a potentia, majestate seculorum omnium, laudetur Deus veritatis. O maxima veritas est: maximamque vim habet!

D. Vicisti, pete quid vis, etiam præter ea, quæ scripta sunt, nos id tibi dabimus, quoniam doctissimus inventus es, & a me proximus sedebis, meusque familiaris voceberis. Z. f) Memento voti tui, quo te Hierosolymam instauraturum pollicitus es, tum cum regnum affecutus es: omniaque vasa Hierosolyma exportata, eo remissurum, quæ seposuit Cyrus, cum de Babylone exscindenda votum fecit, eaque se illo missurum

O 4

pro-

e) De veritatis viribus.

f) Insigne pietatis exemplum. Mavult Zorobabel petere Deo gloriosa, quam sibi utilia.

promisit. Et tu recepisti te instauraturum fanum, quod igni cremarunt Idumæi tum, cum a Chaldæis pervastata Judæa est. Et nunc hoc est, quod a te postulo, Rex, domine, atque flagito: hæc est magnificentia, quam a te expecto. Oro igitur, ut votum præstes, quod cœli regi tuo ipsius ore nuncupasti. *D.* Laudo te, bene mo- nes; faciam.

## SENTENTIA.

*Hauſta eſt de virtute contentio. Utinam inter ſe ſic certarent hodie ſtipatores Principum. Utinam & Principes bona veraque dicta ſic & judicarent, & remunerarentur. Sed fuit illud ſeculum argenteum: noſtrum eſt ferreum. Certe rara ſunt hodie in Aulis hujusmodi certamina. Omnia vincit veritas.*

erit, ita etiam dicetur Dei filius. Elifabetha quoque (quo magis credas,) tua cognata, jam senectute concepit filium; & nunc sextum jam mensem fert uterum, & tamen inter steriles habebatur. Usque adeo nulla res est, quam Deus non possit. *M.* Ecce me Domini servam: eveniat mihi, prout tu dixisti.

## SENTENTIA.

*Deo nihil est arduum. Promittenti Deo credendum est, etiamsi quid naturæ contrarium promittat. Neque enim naturæ obnoxius auctor ipsa naturæ.*

## BAPTISTA.

Matth. 3. Marc. 1. Luc. 3.

## ARGUMENTVM.

Joannes Baptista populum docet vitæ correctionem, & de Christo vaticinatur.

*Joannes Baptista, Plebs, Publicani, Milites.*

**P**rogenies viperinā, qui vos submonuit futuram pœnam fugere? Edite ergo vitæ melioris indices fructus, & a) ne ideo magnos vobis spiritus & arrogantiam sumite, quod patrem habetis Abrahamum. Dico enim vobis, Deum posse ex his faxis suscitare liberos Abrahamo. Jam vero securis arborum radici admota est: omnisque arbor fructum bonum non edens, excindenda est, & in ignem injicienda. *Pl.* Quid ergo faciemus?

a) De nobilitate superbire, inane est.